

1.
2.
3.
4.
10.
1.
2.
3
4.
5
1



I. N. 7.
D E C A S
THESIUM CASUUMQ;

Ex
*Lib. Instit. Jur. II. Tit. de Usufr. IV. itemq; de
Usu & Hab. V.*

*nec non illis, quæ ad eosdem proponi solent,
desumpta.*

Quam,

SERENISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPE
AC DOMINO, DOMINO

GEORGIO FRIDERICO,
DUCE WIRTEMBERGIÆ AC TECCIÆ,
COMITE MONTISPELIGARDI,
DYNASTA HEYDENHEMI,

&c.

RECTORE

MAGNIFICENTISSIMO.

PRÆSIDE

DN. JOHANN-ANDREA Frommann/

U. J. D. & Inst. Imp. P. P. h. t. Decano.

Exercitii Academici ergo

locis horisq; solitis

Ad diem Augusti, cl. lcc. LXXV. ¶

In publica Eruditorum ventilatione pro viribus
defendendam sumit

FRIDERICUS CONRADUS Hüller/

Underöwisheimensis,

Tubingæ,

TYPIS KERNERIANIS,

1675/6

26



VIRIS,
NOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO,
EXCELLENTISSIMO,
DN. GEORGIO BALTHASARI METZ-
GERO, MED. D. LONGE' CELEBERRIMO
IN ACADEMIA TUBIORUM PRACT.
ANATOM. ET BOTAN. PROFESSORI
PUBLICO, FACULTATIS h. t. DECANO
SPECTATISSIMO.

ITEMQUE
NOBILI ET CLARISSIMO, DE QVE REPUBLICA
MERITISSIMO,

DN. MATTHÆO Hillern/SERENISSIMI
DUCIS WIRTEMBERGIÆ CONSILIARIO
GRAVISSIMO, ECCLESIASTICORUM RE-
DITUUM QUÆSTORI FIDELISSIMO.

UT ET
NOBILI ET AMPLISSIMO,
DN. GUILIELMO Datten/LIBERÆ CI-
VITATIS IMPERIALIS ESLINGÆ AR-
CHIGRAMMATEO MAXIME' DIGNIS-
SIMO.

*Dominis Mecenatibus & Promotoribus, Patruo item
& Avunculo, ut summo semper observantia cultu,
ita maximorum beneficiorum nomine, sibi religio-
sè colendis,*

In devotæ Gratitude tesseram, ulterioremque
sui commendationem, hæc pertenues le-
galis Studii primitias submisit

consecrare voluit, debuit.

Fridericus Conradus Hiller/
Resp.



C. I. N. D. N. I. C.

DECAS

THESIUM CASUUMQUE,

Ex

Tit. Inst. Jur. de Usufr. & Tit. de Usu & Hab.

I.



Vusufructus, Usus & Habitatio, cum sint servitutes personales: & sic Jura in re aliena, sed personæ constituta, ad finem quidem generalem, qui formam genericam constituit, emolumenta ex re aliena percipiendi. quo cum servitutibus realibus ab omni alia Juris in re specie secernuntur: Speciales verò diversos, quibus à se invicem: *Jura* sunt in subjecto quidem activo *Personalia* in passivo verò *Realia*, h. e. ipsam rem afficientia, eandem qualificantia, ut causam habere novam dicantur. Ex quo multa fluunt.

II.

Personalitas illa cernitur ex denegata facultate

1. *Acquisitionis fructuum per alium*, non eorum, quibus constitutæ hæ servitutes, nomine fructus commoditatemque ex rebus istis percipientem. Hinc fure fructus colligente è fundo, v. gr. *Usufructuario*, nil juris in istis collectis fructibus usufructuario competit. Quare ipse non, sed proprietarius à fure conditione, aut rei vindicatione, eos consequi potest: non usufructuarius, nisi cessis sibi à proprietario actionibus hisce. Idem de *Usuuario & Habitationem* habente dicendum.

)(2

2. Ces-

2. *Cessionis inter vivos in alium.* Personalia enim hæc jura, quæ realia, nec ab *Vsufuctuario*, nec ab *Vsuario*, nec ab *Habitationem* habente, ulli cedi possunt: cùm ossibus eorum, quibus constituta, inhæreant. Et licet cesserint alii ex titulo, ad transferendum dominium, aut jura similia, habili: hoc tamen actum non censetur, sed aliud. Nec cessionarii sic ratione suæ personæ aliud quid habent, quàm effectum & commoditatem cessorum jurium.

3. *Transmissionis ad heredes.* Siquidem non possunt non, nisi morte ejus, cui constituta, finire. Cùm sublato subjecto simul subjecto inhærens, qualitas s. adjunctum non possit non extingui. Hinc etiam si *Vsufuctuarius* aut *Vsuarius* fundi maturis fructibus decederent, hi tamen non ad eorundem heredes spectabunt. Idemque est, & si eo, quo constituta, die aut horâ moriantur, & emerint hæc jura pretio satis magno.

III.

Realitas verò cùm sit extra personam, in rebus, cernitur maximè, aut se exerit in

1. *Constitutione*, quæ non pactis aut stipulationibus fieri potest inter vivos, sed rerum harundem, circa quas hæc jura versantur, traditione (verâ an fictâ nil refert) hos ob fines facta. Jura enim in re respuunt inter vivos constitutionem & acquisitionem ex solis pactis aut contractibus: pignore excepto.

2. *Translatione inter vivos*, jurium npr. horundem, quæ realia sunt, quæ (nisi repugnat qualitas juris personalis, uti regulariter in *Vsu*: qui constituitur personæ ad necessitatem, non physicam tantùm, sed & moralem aut civilem, seu conditionis, in qua vivit, aut postea vivere potest illa ipsa persona: & sic in eadem persona in tempora variare potest, nedum in diversa) fieri potest in alium titulis quibuscunque, etiam domini translativis, venditione, donatione. Non obstante personalitate ista.

3. Per-

3. *Persecutione eorundem Furium*: Remediis quidem, tum *Possessoris* contra vim, *Turbativam* quidem, si nempe in sua naturali rerum illarum possessione quis turbatur, retinendæ possessionis interdicto; *Expulsivam* verò, si ab ea videtur, recuperandæ interdicto, unde vi: tum *Petitoriis*, iisque tum *Simplicibus*, nempe vel *Realibus* in statu juris hujus controversi, *Confessoriâ* sc. adversus quemcunq; controversum ipsi jus tale constitutum reddentem: vel *Personalibus*, quæ aliàs ex verbis legum iis, qui in re aliqua dominium habent, competentia, ad talia jura habentes ex mente earundem extensa, e. gr. *Legis Aquiliæ* in casu damni, rebus hisce dati: *Servi corrupti* in casu, quo servi, in quo jus ejusmodi constitutum, animus corruptus est. Tum *Mixtis* ex eadem ratione ad hos extensis, *divisoriis* illis, nempe *Finium regundorum*, in casu, quo usufructuarii vel usuarii fundi fines essent confusi. Aut *Communi dividundo*, si usufructus pluribus competens esset dividendus. Quamvis enim plerique textus in hac materia de *Usufructu* loquantur, quin tamen & ad *Usus* & *Habitationem*, suppositis tamen habilibus terminis (ita communi dividundo actio in *Usu* non potest invenire locum) extendi queant, nulla dubitatio est.

IV.

Legatis his servitutibus personalibus, aditâ ab herede hereditate, jura hæc legatariis, non priùs, acquiruntur, & res, in quibus relicta, afficiuntur mox, etiamsi ignoraverint sibi legatas esse: etiamsi quasi traditio earundem non facta ab herede. Quare licet ab herede, sciente aut ignorante, res ita subjectæ his servitutibus, e. gr. ædes *Usufructuaria*, *Usuaria*, aut *Habitationis* legato gravatæ, alienatæ fuerint, cum hac qualitate tamen translatae sunt, & per consequens Legatarius à quocunq; possessore *confessoriâ* persequi potest jus suum, si vult: aut si adversus heredem mavult agere personali actione ex testamento, benè id poterit.

) (3

V. Ad

V.

Ad tit. IV. princ.

Usufructuarius licet habeat ex jure hoc in re ſibi conſtituto facultatem, omnes fructus ex re uſufructuaria percipiendi, perceptosque ſuos, jure hoc ſervitutis, faciat, etiam ſi nondum præſtiterit cautionem: quia ea de eſſentia *Uſuſfructus* non eſt: quamdiu tamen non poſſidet res uſufructuarias, aut poſſidet, ſed vitioſè, vi vel clam: aut legitime poſſidet, ſed non præſtitâ, petitâ à proprietario, cautione: fructus nec jure uſufructus, nec perceptione, ſuos faciet: conſumptione quidem, ſed ut teneatur proprietario reſtituere.

VI.

Ad §. Uſufr. vers. ſine. 1.

Duarum ædium dominus, major 25. annis, alteras vendit Sempronio, alteras retinet, pactò tamen venditioni adjectò, ut Sempronius retentarum *Uſumfructum* haberet. Cùm acceptò precio in eo eſſet venditor hic, ut retentas evacuaret, ob adventantes milites aufugiunt ambo, & Sempronius in fuga moritur. Reverſus dominus ille retentas ædes vendit traditque Cajo: revertuntur & Sempronii heredes, ſed poſt 20. demum annos: An ipsis ratione *Uſuſfructus* illius, Sempronio per pactum illud conſtituti, remedium aliquod juris ſuper eſt? Dicimus: quamvis non poſſit dici vel morte Sempronii, vel non utendo uſumfructum hinc eſſe amiſſum, fruſtra tamen heredes acturos adverſus Cajum conſeſſoriâ. Nec quicquam obſtat, quòd, cùm ita non ſit extinctus, ea omnino competere videatur quia in conſtitutione ejus nihil, quod ad requiſita cauſarum conſtituentium pertineat, deſit. Supponitur enim in facto, quoad *Efficientem proximam*, hunc uſumfructum mutua voluntate (aliàs enim ſine mutua voluntate, ſolâ legis in certis caſibus; vel Judicis, in Judiciis diviſoriis, poteſtate, conſtitui, notum eſt) inter vivos (aliàs enim ultima voluntas, quâ conſtituitur, teſtamentò vel Codicillis declaratur) expreſſâ (ta-
cité

citè enim, per præscriptionem nempe, id fieri quoque posse, non est incognitum) per pactum, venditioni adjectum, per quod id fieri posse, extat in §. 1. l. de Usufr. Supponitur &, quoad *Subiectum constituens*, dominus per ætatem habilis & liberam rerum suarum administrationem habens. Quoad *subiectum acquirens* nil supponamus, quod desit. *Objectum* etiam habile hïc est, ædes nempe: in quas dubio procul verus ususfructus cadit. Sed & ratione *Finis*: qui differentiam specificam & Essentiam s. *Formalem* rationem constituit: id actum, ut omnes ædium fructus, omnia earum emolumenta, perciperet emptor ille Sempronius. Uti verò reali frustra agent, sic etiam nec personali poterunt, vel adversus venditorem illum: vel, & multò minùs, possessorem Cajum: ut ut ex causa etiam donationis possideret.

VII.

Ad §. constituitur. vers. quo in numero. 2.

Quamvis *Ususfructus verus* sit rerum, quæ usu non consumuntur; & *Quasi Ususfructus* contra rerum, quæ usu consumuntur; & vestimenta non tantùm, sed & aliæ res, e. gr. arma, libri, ferramenta & similes res, sicut suâ naturâ quidem usu non consumptibiles, h. e. earum usus haberi possit sine abusu, sine consumptione; non tamen repugnat earum etiam quasi usumfructum esse & constitui posse. Quid enim, si, e. gr. Bibliopola defuncti vidua ex statuto aut testamento omnium bonorum ejus usumfructum haberet? Quid si Mercatoris, arma, ferramenta & similia in magna quantitate venalia habentis, vidua? Certè vel de restituendâ harum mercium similis quantitatis, vel, æstimatis iis, certæ pecuniæ nomine cavendum erit, ut in *quasi usumfructu* fieri solet; Cæterùm usufructuariæ cautionis, in vero usufructu præstari solitæ capita, nempe de utendo boni viri arbitrato & rebus hisce in specie, finitò usufructu restituendis, haud locum invenient.

VIII. *Ad*

VIII.

Ad Tit. V. §. minus autem 1.

Usus est servitus personalis minus plena ad commoditatem ex re aliena, pro necessitate percipiendam, introducta. Quæ necessitas non æstimanda ex eo, si non aliunde habeat *Vsuarius*, quo sustentetur, aut quo utatur re, ad *usum* necessariã; sed præscindendo à facultatibus. Ex hac Forma *Usus* consequitur, quòd, cùm necessitatis semper potior habeatur ratio, quàm utilitatis, si unius & ejusdem rei *Usus* uni, alteri *Usufructus* simul constitutus esset, ille præferretur, etsi hic nihil esset consecuturus. Quòd, cùm necessitas divisionem respuat: quicquid enim necessarium, id totum tale: *Usus* pro parte non possit legari.

IX.

Ad eundem.

Usus onus, invitò proprietario, *Vsuarius* gravius reddere potest; sed & levius fieri eidem potest invitò *Vsuariò*

X. & ult.

Ad d. tit. §. penult.

Cùm servitus *Habitationis* ædes non per omnia ad quævis emolumenta, ut in *Usufructu* ædium, sed tantùm ad habitationis, afficiat: cæteris usufructuario ædium, aut proprietario, relictis: cùm tamen non afficiat ad personalem necessitatem habitationis, ut in *Usu* ædium id fit: quas seorsim *Vsuarius* propterea locare non potest, ob hominum, quoad familiam, dignitatem, differentiam; sed simpliciter ad omnem habitationis commoditatem præstandam: cùmque non tam sub nomine juris constituatur, uti *Usufructus* & *Usus*; quàm sub commoditatis, ut habiter, quocunq; tempore ipsi commodum sit, & sic nec non-usu, nec capitis minutione perimatur (nec novò, in l. 13. C. de servit. expressò, jure) rectè omni-

nò in §. penult. l. h. t. dicitur: *Habitationem* ab ædium

Usufructu & *Usu* peculiare jus esse.

TANTUM.






ULB Halle
006 302 106


3



V. 17







I. N. 7.
D E C A S
THESIUM CASUUMQ;

Ex
*Lib. Instit. Jur. II. Tit. de Usufr. IV. itemq; de
Usu & Hab. V.
nec non illis, quæ ad eosdem proponi solent,
desumpta.*

1675/6

Quam,
SERENISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPE
AC DOMINO, DOMINO
GEORGIO FRIDERICO,
DUCE WIRTEMBERGIÆ AC TECCIÆ,
COMITE MONTISPELIGARDI,
DYNASTA HEYDENHEMI,

26

&c.
RECTORE
MAGNIFICENTISSIMO.
PRÆSIDE
DN. JOHANN-ANDREA Frommann/
U. J. D. & Inst. Imp. P. P. h. t. Decano.

*Exercitii Academici ergo
locis horisq; solitis
Ad diem Augusti, cl. Inc. LXXV. I*
In publica Eruditorum ventilatione pro viribus
defendendam sumit
FRIDERICUS CONRADUS Hiler/
Underöwisheimensis,
Tubingæ,

TYPIS KERNERIANIS,